



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXXI. Mamillæ dolor repente sanatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

flocci pendens promissum coniugis, appellat Ireneum, lis inter eos longa, & pertinax, isto pietati pugnante erga præsidem urbis sanctum; illa promissa in S. Ignatium fidei, neutro mutuis precibus, aut rationibus, inuicem concedente, ac ne conueniente quidem in vnam gemini nominis impositionem, cum in ea vterque primo loco sanctum suum vellet nominari. Tandem igitur ad hoc deuenitur, iocone, an maiore instinctu dubium; infans ipse litem decideret. Quare ad eum pater, nunc demum fili mi! dicit, ait, qui velis vocari, nondum verba conari pusio cœperat, nec cœpit nisi post aliquot menses, mox tamen patri distinctè respondit *Ignatius*, ita litem pro matre, & S. Ignatio diremit.

XXX.  
*Morbūm S.  
Ignatij ima-  
gine sana-  
tur.*

Ferdinandum Pratellum de Mendoza, Marchionatus Lombaiensis administratorem, ducis Gandiæ quædam negotia Vallissoletum euocarant anno 1603. illic pestilens febris eum lecto affligit, quam fore lethalem archiatri ex eo statim augurantur, quod purgatione iam triplici nihil remitteret, & ei demandæ fracta viribus natura non esset. Sacro erat viatico, & oleo munitus, iamque triduum cibi expertus, stupidus, & semimortuus iacebat; cum ad eum defertur S. Ignatij imago, vitæ exorandæ, an ad mortem parandæ haud scio: certum eius aspectu quicquid supererat animæ in precem collegisse, qua ingenti affectu sanitatem ab eo petit, & eius illic pignus tulit; nam placidissimo captus somno post horas aliquot cibum sumpsit, confanuitque tam integrè ac robustè, vt post quintum diem, iter repereret, & sæua hieme per montes, Vallissoleto Valentiam, nouem dierum spatio perueniret.

XXXI.  
*Mamilla do-  
lor repente  
sanatur.*

Ioannam Pignatelliam ducem terræ nouæ, Caroli Aragonæ, ducis Castriuetrani viduam, cruciabat periculosus mamillæ tumor; exhibat iam mensium quatuor exquisita, sed inanis, & cassâ curatio, nec detumescibat, nec mollicebatur, & eò increuerat, vt ad quemlibet motum discerpi sibi viscera crederet. Humani ergo inops præsidij, diuinum ab S. Ignatio requirit, eius à matre Hieronyma Columna effigiem accipit, eius auxilium flagitat, & ecce illo ipso quo id egerat die mamillæ tumor, durities, dolor, penitus euanescent.

XXXII.  
*Puella lemuru-  
rum infesta-  
tione libera-  
tur.*

Vincentio Callo tormentorum muralium Melitæ libratori, filia erat circiter nouennis. Huic mense integro ludos in somnis faciebant miri promissores, magnasque illi spondebant diuitias. Quod illa postridiè narrabat parentibus, & promittentium habitum, ac lineamenta seorsum singulorum (erant enim iidem perpetuo) describebat; cœpere exinde post illum mensem, interdum quoque ab ea videri, vnus primum, post duo, dein multi simul, & in iis etiam femina, quos probè illos esse meminerat, qui sibi toties in somnis adstiterant, & suo quisque nomine notabantur Ioannis, Bernardi, & similium; iis item quibus antea promissis lætabant simplicem; fore illam, si modo annueret Melitæ totius ditissimam, prouehendam in summos honores eius familiam; habere se desertis in templis auricopiam, & gemmarum; hæc illi ab se omnia seruari: Præter Spem (erat puella